FOMENTA PIETATIS
In Divum
FRANCISCVM XAVERIVM
Indiarum Apostolum
Societatis IESV.
In Gratiam Eorum
Qui eius ambiunt clientelam, Mediolani prius Italicè; denuò Græcij Latinè, recens verò recusa.



CALISSII,
Typis Collegij Soc: JESV.
Anno Domini 1680.

COMPENDIVM VITÆ

S. FRANCISCI XAVERII SOC: JESV.

FRANCISCVS XAVERIVS, in Xaverio Diœceſis Pampelonẽſis, nobilibus parentibus, totius Orbis Chriſtiani bono editus, S. Ignatio ſeſe comitem & diſcipulũ junxit. Mortuus ſemel mundo, ut viveret ſemper Chriſto. Carnem biduanis triduaniſq; jejuniis, cruentis flagellationibus, acuta ferreis clavis zonâ, hauſto non ſemel è morbidorum ulceribus pure, ita Spiritui ſubegit; ut quamvis non eſſet Spiritus, Spiritu, tota ageretur. Virginitate integerrima, laboribus indefeſſa; Nubes

volo-

volatilis potius quàm caro, & ũbra Spiritus, continuo amore Dei, & proximi, bullientis, non onus. Missus cum Apostolici Nuntii Potestate in Indias, Apostolica munera incredibili penè labore exâtlavit. Sanctitate pariter ac miraculis vere Apostolicus, adeoq; Apostolus Indiarũ, oraculo Gregorii 15. in Bulla Canonizationis Anno 1622. omni merito appellatus Difficillimis barbararum gentium linguis, subito ac divinitus imbutus: uno insuper Idiomate loquens, a diversissimis nationibus intelligebatur. Currebat per provincias Nudipes, confixis, atq; contusis non raro pedibus bajulus ipse Sacerdotalium indumentorum, & librorum divinorum, quo pene modo plusquam centũ millia Milliarium in causa Evangelii emensus. Servus sua sponte

 du-

ductori viarum barbaro addictus, ea alacritate animi præeuntem equitem ſequebatur pedes; ut interdum manibus ad equum appẽſis, ſeu rueret in terram, ſeu violenter raptaretur, iter perageret. Vaticinia edidit innumera, ſigno crucis ſalſum edulcoravit, exarmavit mare precibus, pluit orationi Cineres, profligavit invocato Numine barbarorum exercitus: idem eodem tempore geminis, & longiſſime diſſitis locis, periclitantibus adfuit. Cum Inſulam Moro ingreſſus, primum a Concione audiretur, concuſſa terra, rugituq́; ac voces dæmonum auditæ: Tu nos peruris FRANCISCE; tu regno pellis. In ſolo Malacenſi Epiſcopatu, octingenti miraculosè ſunt ſanati, viginti quinque mortui ſuſcitati, nec adhuc omnes cogniti Fide, Iaponiæ,

Mo-

Molucis, Amboino, aliisq; Provinciis vastissimis invectâ, cum magnos Principes, Regesq; &c. complures, ac cum iis vigesies Centena Millia populi manu propriâ baptizasset, præ gaudiorum cælestium felici infusorum multitudine; SATIS EST DOMINE, SATIS EST, sæpe exclamare auditus: laboribus & proximorum saluti procurandæ, satis nunquam dicere voluit, sed continuo zelo anhelans, Sinarum impervia regna intrare contendit: Vnde ex Insula Sanciano die 2. Dec: ad laborum præmia evocatus. Demortui cadaver, viva calce per multos menses bis obrutum, sed penitus incorruptum, odore & sanguine manavit. Idem cum per Mare in Indias reveheretur, scopulus navi imminens, certū Naufragium Nautis ostentabat. Sed

invocata XAVERII ope, effectum admirabiliter, ut non scopulus navim, sed navis scopulum finderet, atque fissum illæsa transiret. Molucæ quoq; ad advētum mortui, pestis sævissima confestim sedata, tot denique atque tam varia miracula, à XAVERIO passim, in illis regionibus edita, ut ex cōmuni sensu. Si XAVERIVS Miracula non faceret, pro miraculo haberetur.

Mortuus Anno D. 1652. initæ Societatis 13. ætatis suæ 55 In Sāciano Sinarum Insula. Feria 6. Decemb.: die 2. A Sanctissimo D. N. Gregorio 12. an 1622 Martii 12. in Sanctorum Numerum relatus.

Observanda iis, qui proficere volunt in cultu erga,

S. FRANCISCVM XAVERIVM.

1. Effigiem Christi Crucifixi veneratione prosequi; hæc enim pati-

patiente aliquid molesti in Indiis; Xaverio ; stillabat sanguinem qualibet feria 6ta in domo Paterna.

2. Assiduè Deum pro conversione infidelium deprecari.

3. Frequenter pro animabus in Purgatorio Deum rogare.

4. Solicitum pro conservanda illibata puritate vigilare.

5. Pro viribus suis in obsequia & auxilia proximi incumbere.

6. Crebro confiteri, & conscientiam per examina, non secus ac pro morte discutere.

7. Sæpe Evangelicum illud animo recolere : Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimẽtum patiatur?

8. Quandoquidem Actionibus supradictis tota S. Xaverii vita re-

ta redundat; conniti ad eius imitationem, easdem sibi reddere familiares.

9. Agere, ut promoveatur ejus cultus, & veneratio, manifestando gratias per eum acceptas, & confitendo nostram versus ipsū obligationem.



OF-

OFFICIUM S. FRANCISCI XAVERII S. I.

Ad Matutinum.

DOmine labia mea aperies.
Et os meum annuntiabit &c.
Deus in adjutorium meum &c.
Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio, &c.

Hymnus.

In flore vitæ Xavier,
Spretis honorum faſcibus
Spebuſq; ſtirpis patriæ,
Ad cæli amores vertitur.
Sacri calore Spiritus,
DEO parata victima,
Ignatianis æſtuans
Totus liqueſcit ignibus.
O vita IESV cordium
Fac, ut caduca deſerens,

Te,

Te, forte quam concesseris,
Mea mens requirat unicum!

Antiph. *Egredere de domo tua, & cognatione tua, & de terra Patris tui & veni in terram, quam monstravero tibi.* Gen. 12.

Inveni filium Iesse, virum secundũ cor meum Qui faciet omnes voluntates meas. Actor: 13.

OREMVS.

DEVS, qui Evangelium Regni tui, per barbaras gentes, & reconditas nationes, S. Francisci tui Xaverii prædicatione seminasti, & ejus sanctitatem innumeris hactenus miraculis decorasti; cõcede quæsumus, ut cujus memoriam agimus etiam virtutes imitemur. Per Dominum &c.

Ad Laudes.

Deus in adjutorium meum &c.

Hymnus.

Exegit omnem laudibus,

Amo-

Amoribusq; Numinis,
Inter ſecunda, & aſpera,
Vitæ diem Xaverius,
Seu manè Sol aſſurgeret,
Seu conderetur æquore;
In ore Deus inſederat,
In corde IEsvs vixerat.
Mea, Deus, ô felicitas!
Fac, ut (quod olim geſtio,
Amare te perenniter)
Dum vivo, totus ordiar.

Antiph. *Quid mihi eſt in cælo & à te, quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Pſal: 71.

Laudabit uſque ad mortem. Anima mea Dominum. Eccl: 51.

Oratio ut ſupra.

Ad primam.

Deus in adjutorium meum &c.

Hymnus.

Miſertus orbis ultimi,
Xaverius caliginem,

Ab Occidentis finibus,
Emergit instar Cynthii,
DEVM ferebat pectore,
Feris docendum gentibus,
Appstolus deperditæ,
Iterum futurus Indiæ.
JESV salus mortalium!
Ita fac amare proximum,
Vt ab hoc amore, Curia
Adaugeatur Cælitum.

Antiph. *Ite Angeli veloces ad gẽtem expectantem, & conculcatam; cui diruperunt flumina terram* Isa. 18

Dedi te in lucem gentium,
Vt sis salus mea usq; ad extremum terræ. Isa. 49.

Oratio ut supra.

Ad Tertiam

Deus in adjutorium meum &c.

Hymnus.

Miraculorum gloriâ,
Apostolatus insulis,
Et gentium præconiis,

Vbi-

Vbique magnus Xavier.
Suo tamen ſuffragio
Poſtremus unus omnium,
Cujuslibet ſolatiis,
Se dedicat Xaverius.
O qui ſuperba conteris,
JESV humilium ſublimitas;
Tuo ex amore deſpici,
Fac, ut frequenter expetam!

Antiph. *Ante Dominum qui elegit me, vilior fiam pluſquam factus ſum: & ero humilis in oculis meis & glorioſior apparebo.* 2. Reg. 6.

Omnibus omnia factus ſum
Vt omnes facerem ſalvos. 1. Cor. 9.

Oratio ut ſupra.

Ad Sextam.

Deus in adjutorium &c.

Hymnus.

O Virginem Xaverium!
Et ſanguinis caloribus,
Erroribuſq; gentium,
Et ſomniis ſuperſtitem!

Hinc caſtitas poſt funera
Vetuit malam putredinem
Intacta ſemper lipſana
Xaverii contingere.
O Diva IESV puritas!
O Matre nate Virgine,
Da labe ſine, me conſequi,
Qua ductor Agnus iveris!
Antiph. *O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate! Immortalis eſt enim memoria illius; quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines* Sap. 4.
Hi ſequuntur Agnum quocunq; ierit, Sine macula enim ſunt ante thronum Dei. Apoc. 14.
Oratio ut ſupra.
Ad Nonam.
Deus in adjutorium &c.
Hymnus
Vaſtæ remotas Indiæ,
Plagas obit Xaverius,
Lojola ſed vel liter..,

Si jusseris revertitur.
Nec sol, ut promptissimus,
Vel stare, vel recurrere,
Volente jussus Numine,
Telis resorbet orbitam.
Exordientem Nominis,
Agnosco JESV literam;
Opto per hanc cum legibus
Dei placita decurrere!

Antiph. *Audi Fili mi, disciplinam Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo & torques collo tuo.* Prov. I.

In capite libri scriptum est de me.
Vt facerem voluntatem tuam Deus meus. Psal. 36.

Oratio ut supra.

Ad Vesperas.

Deus in adjutorium &c.

Hymnus.

Cecidêre monstra Tartari,
Idola pulsa gentium,
Fide instituti Iapones,

C 2 Chiuæ

Chinæ reclusa littora.
Vicena quin & funera,
Et quinque vitæ reddita:
Pulsis tot orbe pestibus,
Francisce, Numen evocat.
JESV laborum præmium,
Mercede major maxima:
Conando quidquid gessero,
Te, Te in coronam postulo.

Antiph. *Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum: longitudine dierum replebo eum: & ostendã illi salutare meũ* Psal. 90.
℣ *Nimis honorati sunt amici tui Deus.*
℟ *Nimis confortatus est principatus eorum.* Psal. 138.

Oratio ut supra.

Ad Completorium.

Deus in adjutorium &c.

Hymnus

Francisce iam cælestium,
Divis recepte sedibus,
Dignare te colentium,

Piis adesse mentibus.
Omnem per orbem, gloriæ
Tuæ eriguntur symbola:
Per te impetratæ gratiæ
Vbique stant insignia.
Eous, & Septemtrio,
Meridies, & Occidens;
Et iste, & ille plurimis,
Tibi calet clientibus,
O perditorum temporum,
Francisce, spes amplissima.
Orbis Pater novissim i!
Patrone, lux, Apostole.
Salve tuoq; lumine,
Tuos serena supplices:
Fac, Mundus omnis ardeat,
Divini amoris Numine,
Fides ut una gentium,
Fines inundet omnium;
Vt una pax cælestium,
Cor jungat, & terrestrium.
Antiph. *Hic est fratrum amator, & populi Israel, qui multum orat pro*
C 5 *popu-*

populo, & universa Sancta Civitate. Mach: 2. c. 15.

Ora pro nobis S. Francisce Xaveri

Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMVS.

DEUS, qui Evangelium Regni tui, per barbaras gentes, & reconditas nationes, S Francisci Xaverii prædicatione seminasti; & ejus sanctitatem innumeris hactenus miraculis decorasti: concede quæsumus ut cujus memoriam agimus, etiam virtutes imitemur. Per Dominum nostrum IESVM Christum Filium tuum &c.



LITA-

LITANIÆ
AD S. FRANCISCVM XAVERIVM.

Ex iis.

Quas illustrissimus Dominus D. F. Gasparus de Villarvel. Episcopus S. Iacobi Chilensis, & Regiæ Hispaniarum Maiestatis à Consiliis, in honorem Sancti, quod eius patrocinio inter ruinas ex terræ motu iam sepultus, salvus tamen evaserit, gratitudinis ergò concinnavit ipse & statis ex voto diebus recitavit, ac etiam deinde in publicum aliorum bonum typis evulgavit.

KYrie eleyſon. Chriſte eleyſon
Kyrie eleyſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis DEVS, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus. mi-
Spiritus Sancte Deus. mi-
Sancta Trinitas unus Deus. mi-
Sancta MARIA. Ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix.
Sancta Virgo Virginum,
Sancte Pater IGNATI..
Sancte FRANCISCE XAVERI, dignisſime, & dilectiſſime Fili S. P. Ignatii.
S. Franciſce Xaveri Indiarum Apoſtole
S. Franciſce Xaveri Evangelizans pacem.
S. Franciſce Xaveri Evangelizans bona.

Ora pro nobis.

V as electionis portans Nomen Ieſu corã gẽtibus.

Vas

Vas redūdās Divinæ Charitatis.
Firmamentū Oriētis Ecclesiæ.
Propugnator Fidei.
Impugnator infidelitatis.
Prædicator Evāgelicæ veritatis
Idolorum destructor.
Electum à Patre æterno instrumentū propagandæ Divinæ gloriæ.
Fidelis imitator, & Socie: Iesu Christi Filii Dei.

Ora pro nobis.

Tuba resonans S. Spiritus.
Columna templi Dei,
Lux Paganorum.
Magister credentium.
Speculum veræ pietatis.
Dux in via virtutum, & Christianæ perfectionis.
Exemplar Apostolici Spiritus, & sanctitatis.

Ora pro nobis.

Lumen cæcorum.
Pes claudorum.
Auxiliator naufragantium.

Salus

Salus ægrotorum.
Fugator Dæmonum.
Vita mortuorum.
Cujus potestati obediunt mare, & tempestates.
Cujus imperia venerantur universa elementa.
Prodigiorum Thaumaturge.
Refugium miserorum.
Gaudium afflictorum.
Orientis splendor.
Pignus resurrectionis ad vitã gratiæ, & gloriæ.
Tabernaculũ incorruptionis.
Ærarium Divini Amoris.
Gloria Societatis IESV.
Legate Apostolice RomanæSedis. Pauperrime Xaveri.
Castissime Xaveri.
Obedientissime Xaveri.
Crucis Christi, ac laborum pro Christo cupidissime Xaveri.
Suavissime Xaveri.

Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

Glo-

Glorioſiſſime Xaveri.
Animarum, & Divini honoris Zelator ardentiſſime.
Angele moribus, & vitâ.
Patriarcha affectu, & ſtudio curandi populum Dei.
Propheta dono, & ſpiritu.
Apoſtole dignitate, & merito.
Doctor gentium, potẽs in multifario ſermone & opere.
Confeſſor virtute, & vitæ profeſſione,
Virgo animo, & corpore.
In quo uno omnium Sanctorũ merita, ex Divinâ benignitate veneramur.

Ora pro nobis.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Miſerere nobis.

Chri-

Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleison Christe eleison.
Kyrie eleison. *Pater noster &c.*
Et ne nos inducas in tentationem
Sed libera nos a malo.
Ora pro nobis S. Franc. Xaveri.
Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMVS.

DEVS qui Indiarum gentes, Beati FRANCISCI Prædicatione, & miraculis Ecclesiæ tuæ aggregare voluisti: concede propitius; ut, cujus gloriosa merita veneramur, virtutum quoq; imitemur exempla. Per Dominum nostrũ Iesum Christum Filium tuum &c.

Oratio S. Francisci Xaverij pro persecutoribus.

Tursel: vitæ l. 5. c. 8.

DOmine I E S V Christe, Deus

cordis mei, per acerbissimos mortis tuæ cruciatus, obtestor te, ut intuearis tuas ipse cicatrices & vulnera, quæ Patri tuo assiduè pro nobis exhibes, eaq; salubria esse velis omnibus persecutorib9 nostris, ut resipiscant.

Aspirationes S. Franc. Xaverij morientis.

JESV JESV! Fili David miserere mei. Tu peccatorum meorũ miserere! Mater Dei memento mei: Monstra te esse Matrem. IESV Deus cordis mei! In te Domine speravi, non confundar in æternum!

AFFECTVS.
Amantis Animæ
S. FRANCISCI XAVERII.

O Deus! ego amo Te.
Nec amo Te, ut salves me;

Aut : quia non amantes Te,
Æterno punis igne,
Tu, Tu, mi Iesu, totum me,
Amplexus es in Cruce :
Tulisti Clavos, Lanceam,
Multamque Ignominiam.
Innumeros Dolores.
Sudores & Angores,
Ac mortem ; & hæc propter me,
Ac pro me peccatore :
Cur igitur non amem Te,
O Iesu amantissime?
Non, ut in cælo salves me,
Aut ne in æternum damnes me,
Nec præmii ullius spe.
Sed, sicut Tu amasti me,
Sic amo, & amabo Te.
Solum quia Rex meus es ;
Et solùm, quia Deus meus es.

Aspirationes ejusdem Sancti quotidianæ ex Vita & Epist : excerptæ.

JESV Christe Fili Dei vivi, da hoc nobis, ut te super omnia diligamus.

Da

Da nobis Domine sanctissimæ voluntatis tuæ perfectè semper agnoscendæ & adimplendæ gratiam.

Non nobis Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.

Quis mihi det, ut ego moriar pro te, & cognoscant te omnes fines terræ.

Amplius Domine *Cruciari* āplius Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.

Satis est Domine, *Te si habeam*, satis est.

Domina opitulare! Sanctissima Dei parens, cæli Regina, quæ quicquid oras Filium, semper exoras, esto Advocata nostra.

Aspirationes ejusdem inter dormiendum Relat: pro canoniz. p 19.

Mi IESV! dulcis IESV!
O IESV bone! ô Creator mi!

ZELVS SALVTIS ANIMARVM.

Ex Orat.: S. F. Xaverii, quæ habetur apud Lucenā. l. 5. c. 5.

MEmento clementiſſime rerum omnium conditor Deus animas infidelium, hæreticorum, & peccatorū à te ſolo creatas, quas ad imaginem, & ſimilitudinem tuam feciſti, ecce Domine in opprobrium tuum his ipſis quotidie implentur inferni. Memento pretioſi ſanguinis, & amaræ mortis, quam pro iis ultro ſuſcepit Ieſus Chriſtus unigenitus tuus. Recordare Lacrymarum, ſuſpiriorum, & vulnerum ejus. Ne permittas ultra Domine, eundem dilectum Filium tuum à paganis & peccatoribus denuo crucifigi, & oſtentui haberi. ſed precibus electorū tuorum placatus, fac ut infideles, hæretici, & peccatores omnes a-

gno,

gnoſcant, diligant, æternumq; glorificent te, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum noſtrum, pro quorum omnium ſalute ego me totũ, meaque omnia divinæ Majeſtati tuæ offero, & devoveo.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi Populi omnes. Omnis terra adoret te, & pſallat tibi.

Ordinaria pia opera erga S. Xaverium ſingulis menſibus.

Opportunum fuerit ſingulis primis feriis ſextis cuiuslibet menſis, ſacræ ſynaxi accumbere, ac ieiunium eiusdem diei ſtabile offerre Deo, cum dictâ cõmunione, pro animabus Purgatorii, quæ peculiariter affici erga Sanctum conſueverunt.

Proderit deinceps, quâvis tertiâ Dominica mensis, coronã Beatissimæ Virginis recitare, ut sacro Missæ sacrificio interesse, supplicando pro conversione gentium insuper Communionē quæ fortè feriâ sextâ minus cōmodâ accideret, eodem Dominico peragere.

Singulis Hebdomadis

Feriâ sexta cuiuslibet hebdomadæ, conducet invisere templum S. Apostolo dedicatum, aut altare recitando eo in loco decies Ave, & decies gloria Patri, recolendo memoriam annorum decem quos pro salute proximi in Indiis impendit; facta-

factaque intentione orandi pro omnibus, Sancti huius Patroni honorem fideliter, ac solicitè procurantibus.

Singulis diebus..

Singulis diebus licebit cuivis ter devotè pronuntiare sequentia: S. Francisce Xaveri ora pro nobis, ut digni efficiamur promissionibus Christi. Commodius fortè accidet ista dicere. Primò, cum e lecto surrexeris; secundo, vespere priusquam decumbas; tertio, sub horam vigesimam primam, qua & Christus, & Sanctus tuus Patronus obierat.

Extraordinaria pietatis opera.

Quodsi

Quodsi quis peculiarem aliquam intercessionem ipsius Sãcti, pro impetranda sibi à Deo singulari gratiâ desideraverit; utetur sequẽtibus, & iam usitatis alibi Sanctum invocandi, & honorandi rationibus. Eligat primo decem ferias sextas continuas, quarum quamlibet ieiunio, confessione, & communione peracta transigat. Recitet secundò decies Pater, decies Ave, & decies Gloria Patri, in Ecclesiâ, aut ad altare Sancto Apostolo consecratum. Offerat Deo merita Sancti sui Patroni exhibita ab eo per id tempus, cùm is proximorum saluti deser-

ferviret. Oret pro Ecclesiæ Sanctæ publicis necessitatibus. Pro conversione infidelium, & Catholicorum, eorum maximè, qui obstinati volvuntur in sceleribus; præsertim si quos tales, in viciniâ domûs, aut regionis fore contingeret. Pro animabus item in purgatorio, & pro singulis, qui sancto huic Apostolo peculiariter se dedicarunt. Quibus omnibus demisse id subiunge, quod postulas, & roga desideratam gratiam.

Per decem has hebdomadas consultum erit, sæpius historiã vitæ ipsius sancti inspicere; ut ad sequelam heroicarum ipsius

virtu-

virtutum exciteris ; & maiorẽ fiduciam concipias consecuturæ gratiæ ex ipsius intercessione.

Adverte, prædictas devotiones usui etiam esse posse, cum gratias agere volueris de beneficio non vulgari per intercessionem S. Xaverij obtento.

Intentio.

Suscipe S. Pater omnipotens æterne Deus, ad laudem & gloriã sacratissimi nominis tui & (*hic exprime propriam intentionem, ad quã omnia huius diei opera offerre vis*) omnia, quæ ego indignus famulus tuus hodie sum cogitaturus, dicturus, facturus, & passurus. Hæc tibi ego Deo meo vivo, & vero, omnia & singula, sive parva ea sint, sive magna, in unione meritorum vitæ passionis & mortis uni-

unigeniti Filii tui Domini nostri Iesu Christi nec non sacratissimæ ejus genitricis Virginis Mariæ, & Beatorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum Virginum omniumq; tam triumphantis, quã militantis Ecclesiæ tuæ, o fero: quorum precibus meritisq; concede ut hoc holocaustum in conspectu DivinæMajestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat. Per eundem Christum Dominum nostrum Amen.

Oratio ante studia ad B. Virginem.

O sedes sapientiæ Beatissimæ Virgo MARIA! ô Tabernaculum Spiritus S. ô! liber septẽ signaculis gratiæ Spiritûs S. obsignate, scripte intus & foris Divini amoris penicillo, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei recon-

reconditi. O Dulcissima Sponsa Spiritus S. fac quæso per immaculatam Conceptionem tuam, ut linguam meam erudias, atque in labiis meis, gratiam tuæ benedictionis infundns. Impetra mihi intelligendi acumen, addiscendi facilitatem, retinendi capacitatem, interpretandi subtilitatem, loquendi gratiam copiosam, Amen.

Actus Contritionis.

Domine Iesu Christe, animarum nostrarum amator ardentissime, qui præ nimia charitate tua, non vis mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat; doleo ex intimo corde meo, quod te Deum meum, atque benignissimũ redemptorem offenderim, qui me usq; adeò dilexisti ut pro me servo vilissimo sangui-

nem

nem tuum pretiosum fundere, & mortem acerbissimam subire dignatus sis O bonitas infinita Deus meus, utinam te nunquam offendissem, quia infinite bonus es, & super omnia cordis mei desiderabilis amabilis. Ignosce bone Iesu misericordiam petenti. Miserere peccatoris, pro quo apud Patrem tuum vox sanguinis tui interpellat. Ignosco & ego pro amore tui, omnibus qui me unquam offenderunt; firmiterq; statuo universa deinceps peccata fugere, & ea, quæ contra immensam bonitatem tuam commisi, in amaritudine cordis confiteri; ac te Deus meus propter temetipsum super omnia amare.

Recollectio Horaria.

O Iesu, summum & omne bonum meum! Cur unquam te offendi; Ah vere pænitet me ex in-

timis medullis, ideòq; vel maximè, quia tibi soli peccavi. Et quid jam agam? te æstimo, te unum amo super omnia, propter te ipsum, qui hoc amore meo, omniq; alio, sine fine dignus te.

Actus Fidei, Spei, & Charitatis ante Communionem.

Credo mi Iesu, Te esse in hoc Sacramento verum Deum & hominem; in hac, & pro hac fide, mori sum paratus. Et cum hac fide Te suscipio. Spero mi Iesu me aliquando visurum Te in gloria Tua. Amen amen Domine mi. In hac spe suscipio Te. amo Te mi Iesu super omnia, quia summa bonitas es. In hoc & ex hoc amore suscipio te. O Domine non sum quidem dignus, sed quia hæc est bonitas & dignatio Tua, Veni, desidero Te millies, desidero infinities, veni & imple desiderium

meum

meum. Nunc tempus eſt Domine ornare me meritis, gratiis, virtutibus Tuis, & omnium electorum Tuorum, quia pauper ſum, vilis & abjectus nimis.

Poſt Communionem.

Mi Ieſu portio mea corpus tuum, portio Tua corpus meum. Mi Ieſu portio mea volũtas Tua, portio tua voluntas mea. O Domine utinam totus transformer in te. O ſi ſanguinem poſſim fundere pro Te.

O Corpus Ieſu à me ſumptum, immuta animam meam & corpus meum, trãsforma me, Chriſtifica me, Deifica me.

Genu flectens dic 5.

LAVDETVR SANCTISSIMVM SACRAMENTVM

Affectus ad Christi Domini Vulnera.

O magnum myſterium! ô profunda magna vulnera! ô dulcedo Divinitatis! adſis mihi ad æternã beatitudinem obtinendam.

Saluto Domine Ieſu Roſea, ac ſuaviſſima vulnera tua, quæ ſuſcepiſti pro me, in quibus deſcripſiſti me. Salvete, Salvete, Salvete, vernantes & ſalutiferæ plagæ Redemptoris mei, & amatoris mei.

Poſt mortem apparuit S Xaverius ægrotanti Maſtrillo, in forma Peregrini, Neapoli 30. Ianuarij 1034. eumq; perſenans, hunc modum ſalutandi S. Crucem docuit in hæc verba. Ave lignum Crucis ave Crux pretioſiſſima; me totũ tibi dedico in perpetuum.

O F-

OFFICIVM PARVVM BB. TRIVM MARTYRVM JAPONENSIVM.

JOANNIS PAVLI & JACOBI. Societatis JESV.

Ad Matutinum.

Momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate gloriæ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

DOmine labia mea aperies,
Et os meum anunntiabit laudem tuam.
Deus in adjutoriũ meũ intẽde
Domine ad adjuvãdũ me festina.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio &c.

Hymnus.

FOrtes avete milites,
Quorum cruore Iapones,

Et purpurascit inclytæ
Ager ferax Ecclesiæ.
Vestro hunc rigate sanguine,
Terramq; cordis aridam:
Fœcunda fructus proferat,
Quos horreis cæli inferat.

Antiph. Iustorũ animæ in manu Dei sũt, & nõ tanget illas tormentum malitiæ, visi oculis insipiẽtiũ mori, illi autem sunt in pace.

℣. Nos autem oportet gloriari in Cruce Domini Iesu

Per quem nobis mũdus crucifixus est, & nos mundo.

ORATIO.

DEus qui Beatos Martyres tuos Ioannem, Paulum, & Iacobũ martyrii gloriâ decorasti

rasti, concede quæsumus; ut quorum gloriæ coronã in cælis veneramur; eorũ fortitudinis exẽplum & passionis cõstantiam imitemur in terris, Per Dominum, &c.

Ad Primam.

Deus in adjutorium, &c.
Domine ad adjuvandum, &c.

Hymnus.

O Lata amoris viscera!
O charitatis pectora!
Quæ non Tyrãni vincula
Stringere valẽt, aut verba.
Per vestra solvi vincula,
Noxas rogamus criminum,
Mens ut beatis libera
Cæli fruatur sedibus.
Nos autẽ oportet &c. ut supra

Ad Tertiam

Deus in adjutorium, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

AD carceres, ad Iudices
Læti trahuntur Martyres.
In vinculis, in carcere,
Deum fatentur jugiter.
Confessione supplices
Vestra precamur Martyres.
Numē, quod ore credimus,
Nostris fateamur moribus.
Nos autem oportet &c.

Ad Sextam.

Deus in adjutorium &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus

FAme premantur viscera,
Sitique fauces asperâ,
Cæli tamen mens gaudiis

Solatiisque pascitur.
Sitim, famemque petite,
Manna supernum promite,
Vitæ perennis rivulos,
Desideratos fundite.
Nos autem oportet &c.

Ad Nonam.

Deus in adjutorium, &c.

Hymnus.

NAres & aures impie
Tibi Tyranne tollito.
Mẽs verba Spõsi percipit,
Melosque gratũ personat.
Vitæ relictis gaudiis,
Christo vocanti obtemperat:
Mundus vilescit, desipit.
Christusq; solus perplacet.
Nos autem oportet &c.

Ad Vesperas.

Deus

Deus in adjutorium, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

GRatam Deo ſe victimam,
In ſtipite crucis conſecrãt,
Vt veriores aſſeclæ
Chriſti ſui ſint principis.
Nobis ſupremo à Numine,
Conſtantiam depoſcite,
Crucẽ ut feramus alacriter
Aduſque finem fortiter,
Nos autem oportet &c.

Ad Completorium.

Converte nos Deus ſalutaris noſter,
Et averte iram tuam à nobis.
Deus in adjutorium meum intende.
Domine ad adjuvandum me feſtina. Glo.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Hymnus.

O Gloriosi Martyres,
Vestrum polorũ Principi,
Cruore fuso spiritum,
Qui reddidistis ultimum:
Cor nostrum amoris spiculo,
Offerte Christo saucium,
In spiritu vitæ ultimo
Opemque nobis mittite.
Nos autem oportet &c.

OBLATIO.

HOc gratulamur carmine
Vobis triumphũ Martyres
Et purpuratam sanguine,
Vobis favemus Lauream.
Vitæ peracto termino,
Vestro omniumque cælitum.
Vt perfrui consortio',
Nobis liceat in sæcula. A.

